



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Patres, Et Præcipvi in Ecclesia Doctores.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](#)

Episcopo Velterno, Senis Pontifex, sine Cæsar-  
is consensu, Hildebrando instigante, creatus  
est, anno Domini 1059. sub hoc celebratum Ro-  
mæ Concilium, & Berengarius damnatus est.

Nicolao è viuis exempto, Alexander II. Epi-  
scopus Lucensis, Anshelmus antea dictus, vul-  
pina Hildebrandi calliditate, ut sibi ipsi ad Papa-  
tum viam sterneret, Romæ absens electus fuit  
in Pontificem: Imperatore neque salutato, ne-  
que consulto. Huic Longobardi, ex Imperatoris  
consensu, alium opposuerunt Pontificem, quem  
ipsi Basileæ in Comitiis eo præsente elegerant,  
Cadolum nomine, Episcopum Parmensem, qui  
magno cum exercitu Romam obsedit, commis-  
soque prælio uno atque altero, cum suis fugatus  
est: Dictus est in Pontificatu Honorius II. Ale-  
xander vero sub miserabili Hildebrandi iugo,  
non sine veneni suspicione, diem clausit extre-  
num, anno Domini 1074.

PATRES, ET PRÆCIPVI  
in Ecclesia Doctores.

**I**Oannes Scotus, claruit paulo ante Bertra-  
num, sub Carolo Magno Imp. circa annum  
Domini 800. dictus Mailrosius, Monachus Be-  
neditinus, Bedæ Monachi, atque Doctoris cla-  
rissimi quondam auditor atque discipulus: col-  
lega Alcuini, siue Albini, cum quo ex Britannia  
in Galliam venit: vir in omnibus scripturis do-  
ctissimus, atque Carolo Imperatori charus. Scri-  
psit is librum de Eucharistia, in quo per omnia  
creditur retinuisse & seruasle doctrinam beati

Augu-

**Augustini**, quam postea Bertramus presbyter Regi Carolo exposuit.

Bertrami temporibus etiam claruit Rabanus Maurus, primum Fuldae Abbas, postea Archiepiscopus Moguntinus. Fuit is quoque Alcuini quondam auditor, & doctrinæ Augustinianæ diligens sectator. Tantæ fuit eruditionis, ut eo tempore nec similem Italia, nec parem Germania habuerit. Obiit anno Domini 856. Sepultus Fuldae in patria. Ad Ecclesias & posteritatis utilitatem multos commentarios edidit.

**Haymo**, ex AngloSaxonum genere & populo oriundus, consanguineus Bedæ, discipulus fuit in Anglia Albini, & condiscipulus Rabani Mauri, ac contubernalis eius in cœnobio Fuldensi. Abbas Hirsfeldensis, & postea Halberstadiensis Episcopus designatus est, circiter annum Domini 840. Commentarios suos collegit ex aliis Patribus, quos etiam passim citat. De plurimisque capitibus doctrinæ multo sincerius scripsit, quam alii pontifici: etsi non prorsus fuit ab omnibus maculis & næuis huius sæculi immunitus. Annis 13. Episcopatum gessit, mortuus anno Domini 853. Halberstadii in templo Stephani sepultus.

**Theophylactus**, Archiepiscopus Bulgariæ, quibusdam videtur floruisse, Anno Domini 880. Baronius ipsum collocat in annum 1071.

**Decumenius**, scriptor Græcus, videtur florisse, anno Domini 1070.

**Bernhardus**, Abbas Clarevallensis, referuntur in

in Catalogum Patrum , etsi floruerit tempore Scholasticorum, circiter annum Domini 1115. **M**agno in pretio fuit propter vitæ sanctimoniam & doctrinam: ad multorum etiam Regum ac Principum controuersias componendas adhibitus. Acriter pugnauit pro iustificatione gratuita per solam fidem, contra operum merita, & liberum arbitrium. Papæ, Cardinalium, Episcoporum , aliorumque clericorum impietatem grauiter reprehendit. In quodam sermone pulchre de coniugio dixit: *Tolle de Ecclesia honorabile coniugium , & thorum immaculatum : nonne replebis eam concubinariis incestuosis, seminifluis, molibus, masculorum concubitoribus , & omni denique genere immundorum?* Obiit anno Domini 1153. ætatis 64..

### SCHOLASTICI, VEL QVÆSTIONARIJ Doctores.

**V**eteris Theologiæ Scholasticæ initia cœperunt, circa annum Domini 1020. tempore Lanfranci Papiensis, qui Berengarii Antagonista fuit, Archiepiscopus Cantuariensis. Certū est, ante illud Lanfranci seculum, vnius fere Augustini , secundum verbum Dei scriptum , doctrinam inter Christianos quosque doctissimos obtinuisse , atque diligentissime tanquam per manus traditam fuisse. Nam primum ab Egypço , qui Fulgentio fuit ætate æqualis, postea etiam ab ipsomet F U L G E N T I O , deinde à Primasio Afris Theologis; postea autem